



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis**

**Balbín, Bohuslav**

**Pragæ, 1664**

Radius Archiepiscopalis Dignitatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42763**

vitio ita carent, ut ostentum sit, si vel unus reperiatur, qui vel nebulam, vel fissuram habeat. Rotundi sunt omnes. Bilina & Teplia colliguntur; hi Orientalibus nobiliores sunt, tum quia vitio carent, verisq; carbonibus similes sunt, tum quod illorum color nullo igne auferri aut minui possit, quod nulli gemma colorata proprium est; ita ut hac ratione, quasi immortalis Granatus Bohemicus, auro obryzo comparandus sit. Novi, qui per multos menses in igne frustra detinuerat, &c. Sit igitur Granatus rotundissimus anulo Archiepiscopali insertus, in eo Granato sculpatur *Arnesti sponsa Pragensis Ecclesia*, seu *S. Viti* Metropolitanum Templum, adjacente Infula, Pedito, Pallio, aliisque *Arnesti* Insignibus. Hunc anulum in Ara lucente inter ignes deponere illasum, nullo enim igne violatur. Adjice Inscriptionem: *Quis nos separabit?*

Granata  
gemma Ar-  
nesti Archi-  
episcopi  
symbolum.

## RADIUS ARCHIEPISCOPALIS DIGNITATIS.

**N**escit Granati Natura igne mutari, & *Arnesti* in Ecclesiam suam Amor, nullam adversitate mutatus est. In igne, aurum & gemmae, homines in camino tribulationis probantur. Adde quod *Granatus* semper sine vitio; semper innubis, semper vigil, rotundus & masculus; quae omnia caelesti *Arnesti* amori conveniunt. *Scavola*, si *Livio* credimus, in aram ardentem manum injecit, & suum ipse punivit errorem; felicior *Arnestus*, quia amorem igne firmavit. Ignis, quod puniret, non habuit; invenit, quod exercebat. Multas & graves arumnas passus *Arnestus*, ut sponsam suam immaculatam offerret; dum ab haeresi eam purgat; ab haereticis poene occisus est. Sed audeo etiam cum *Pserio* flammam *Dignitatem* appellare. Non eget flammis purgantibus, qui honoribus cruciatur. In hoc Ecclesiae amore, *Ernestum II.* successorem accepit, cujus Gentilitius ille globus, *Granati* naturam videtur induisse; vicit enim Elementa naturae omnia, divinae Charitatis impulsu in altum libratus; ob quam *Gloriam Victoria* suas illi pennas adjecit.

Amor Arne-  
sti in Eccle-  
siam Prag.  
sponsam sua.

Negat istud de  
Scavola Dion.  
Halicarnas.  
in Antiquit.  
Rom.

Reg. hierogl.